ORATIO VOTIVA

PRO

Auspicali Gubernatione

SERENISSIMI PRINCIPIS


AC DOMINI,

DN. FRIDERICI V.

PALATINI RHENI, S. R. I.

ARCHIDAPIFERI ET ELECTO-

RIS, DUCIS BOIARIÆ



pridie Kal. Septemb.

In Augustissima Academiæ HEIDELBER-

GENSIS panegyri habita

AB


HENRICO ALTING, Sacrarum literarum Professore publico.



HEIDELBERGÆ,

Typis GOTTHARDI VOEGELINI.

Anno M. DC. XIV.



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. FRIDERICO V.

PALATINO RHENI, S. R. I.
ARCHIDAPIFERO ET ELECTORI, Duci Bojariæ,
Domino ſuo clementiſſimo.

QVÆ affectus devoti vota pro auſpicali Cnæ. Væ. gubernatione in Panegyri Academicâ nuper concepi, Princeps Sereniſſime, commiſſa prælo & in paucas contracta pagellas juſſus offero. Non ſuſtinent quidem illa judicia Lectorum, ut quæ tam ordine tractationis quàm genere dictionis infra argumenti majeſtatem longiſſimè ſubſidunt: attamen quia clementiſſimis auribus accepta, atque inſuper ad prælum à Cne. Va. fuêre expetita; meum eſſe duxi, obſequii proprii majorem habere rationem, quàm judicii alieni. 104
Quod unum ad tenuitatis meæ conſcientiam &

apud alios excusationem plus quàm satis arbitratus, Deum Opt. Max. supplex veneror, ut & hæc & alia innumera, calidis pectoribus effusa, in C^{ne}. V^{a}. rata facere, eamq; omnigenâ benedictione ornare, beare dignetur in seculorum secula.


Scripsi Heidelbergæ Kal. Octob.
M. DC. XIV.

Celsitud[is]. V[ræ].

humilimus seruus

Henricus Alting.

SERE-



SERENISSIME PRINCEPS
ELECTOR, DN. CLEMENTISSIME,

DVO ſunt dies, qui feſti maximeq; ſolennes Regibus & Principibus eſſe conſueverunt, Ortus & initi Principatus. Satis id teſtatur anniverſaria Natalitiorum & Imperiorum repetitio, ſacris juxta & profanis monumentis celebrata, quâ lætis votis vocibusq;, fauſtâ congratulatione illorum recolitur memoria. Vtrius verò diei major cenſenda ſit ſolennitas, in dubio poſitum videtur. Etenim cum Ortus lucis vitalis uſuram naſcentibus impertiat; cum ei quotquot naſcuntur Principes non vitæ modò beneficium, ſed etiam dignitatis Principalis ornamentum, acceptum referant, equidem prærogativam aliquam honoris non ſine causâ ſibi vendicat. Contrà cùm Principes non ſibi ſed Principatui naſcantur, ſicut bono
Reipubl. nati ſalutantur antiquâ formulâ, 105

tanto dignior eſt Ortu Principatus, quanto finis mediis potior habetur. Cum etiam ordinis hujus non paucos *oſtendant* tantùm *terris fata, neq; ultra Eſſe ſinant*; quod de Marcello dictum à Virgilio, de HENRICO-FRIDERICO Britanniarum Principe præmaturâ morte ſublato, meritò uſurpamus; annon majus quid ampliusq; cenſere fas eſt, initiatos Imperiis Principes quàm natos videre? Quod ſi igitur C^ni. V^x. ad ipſas cunas Electorales optatiſſimos ſuos natales, ceu fauſti cujuſdam ſyderis exortum, gratulatus eſt Ampliſſimus Vir, Marquardus Freherus, in illis quas ex imis antiquitatis viſceribus eruit, inq; lucem protulit, Familiæ Palatinæ Originibus: quanto hoc tempore juſtior gratulationis cauſa eſt, quo C^do. V^a. teneros infantiæ, dubios pueritiæ, præcipites adoleſcentiæ annos ſupergreſſa, Electoratum Palatinum à laudatiſſimis Majoribus ſibi relictũ, & à Celſiſſimo Principe ac Domino, D. IOANNE, PALATINO BIPONTINO, fideliſſimè, feliciſſimè, tranquilliſſimeq; adminiſtratum ſuſcipit, & regiminis Electoralis ſceptrum,
lætan-

lætantibus ſubditis, acclamantibus vicinis, gratulantibus ſociis, plenâ manu capeſſit? Optarem verò illum ipſum Freherum, virum ſanè incomparabilem, quam ad Ortum, eam ad auſpicalem C^{nis}. V^{ae}. Principatum, adferre potuiſſe gratulationem. Quia verò ſecus viſum ſupremo vitæ mortisq; arbitro, qui ipſum nuper admodum, non absque magno rei tum Palatinæ tum literariæ damno, terris ereptum cœlis intulit; ego etſi minimè omnium idoneus, maximè tamen omnium C^{ni}. V^{ae}. ob innumera ſua in me beneficia devinctus, hoc gratandi officium pro virium mearum tenuitate præſtare volui. In quo licet multa occurrant, quæ humilimi officii conatum retardare, vel etiam conantem aliquid hujus aditu loci poſſint prohibere, Majeſtas C^{nis}. V^{ae}. tempore hoc inaugurali longè fulgidiſſima, Illuſtriſſimorum Principum ANHALTINORVM Serenitas, Auguſtus Sanctioris Concilii conſeſſus, dignitas Academiæ, veneratio Miniſterii, Hoſpitum frequentia, & illa lectiſſimorum Studioſorum corona; vincit tamen omnia iſta 106

devo-

devotiſſimus animi mei in C^{nem}. V^{am}. affectus, qui cum vel mutum poſſet in verba ſolvere, quidni balbutientem ad dicendum propellat & audacem faciat?

Solent autem in hujus generis Panegyricis diſſertationes inſtitui de Virtutibus Principis; de ipſius erga Deum, erga ſe ipſum, erga ſubditos officio; de optimâ regiminis formâ. Quæ aliaq; vel ex antiquorum Oratorum Panegyricis repetitȧ, vel ex probatorum Hiſtoricorum fontibus derivata, huc adducerem, ſi inſtruere Principem, quàm ei gratulari rebus præſentibus convenientius ducerem. Nunc quia prædicare animus eſt ingens illud Dei Opt. Max. beneficium, quo Unctum ſuum, ætate maturum, ſuâ manu nobis ſiſtit, ſicq; gaudia, acclamationes, vota in ampliſſimo hoc auditorio excitare, eò quoque comparabo orationem; oſtendámque, quid de Sereniſſimo Principe, FRIDERICO V. Electore ſuo Germania, Principe ſuo Palatinatus, Nutritio ſuo Eccleſia, Patrono Academia, Patre Patria univerſa, ſperare & exſpectare poſſit.

Illud

Illud verò haud luculentiùs fecero, quàm ſi eum Principem optimum futurum demonſtravero. Quo elogio eos potiſſimùm inſigniendos judicarunt Majores noſtri, qui Principatu laudabiliter defuncti, Patriæ utiles, Eccleſiæ ſalutares exſtitiſſent, vel ſaltem, qui tales ſe fore, non fallacibus ſignis, ſed infallibilibus documentis, comprobaſſent. Quod poſterius feciſſe Principem noſtrum & facere etſi nulli dubium ſit, qui indolem ipſius, qui educationem, qui vitæ privatæ conſuetudinem, qui auſpicatiſſima inchoati regiminis primordia cognita & perſpecta habet; neſcio tamen an aliunde pateſcat clariùs, quàm ex ea, quam perpetuò in ore habet, quâ ſymboli loco ubique utitur precatiuncula, verè gemmea, magnatibusq; omnibus meritò uſurpanda: REGE ME DOMINE SECVNDVM VERBVM TVVM. Si enim Vitellio Romæ medio Campo Martio inferias Neroni dante, ejuſq; ſe in gerenda Republ. exemplum ſequuturum profitente, velut triſtiſſimo omine 107
perculſi ſunt & proſtrati Romanorum animi:

mi: quidni lætiſſimo illo augurio in ſpem optimam erigamur nos, quod Princeps in deligendo abſolutiſſimo ac planè divino gerendi Principatus exemplari oſtendit? Dicam clariùs diſtinctiusq́;, ſi poſſum, ut actis firmioribus radicibus firmior ſit veſtra de Cne. Sa. exſpectatio. Elector FRIDERICUS uno ſymbolo ſuo tres optimi ſine controverſia Principis notas in Seſe proponit, quòd REGI ſe petit; quòd à DOMINO regi; quòd ſecundùm VERBUM regi. Regere Regibus Principibúsque omnibus commune eſt; regi velle non omnium eſt. Reperti quippe ſunt & reperiuntur, proh dolor! in ordine regnantium non pauci, qui ſive Majeſtatis ſplendore occœcati, ſive miniſteriorum obſequiis blanditiisq́; corrupti, regimen ſuperioris nullum agnoſcunt, ſed Deorum inſtar, abſolutæ poteſtatis axiomate eminere ſe credunt in ſocietate humana; quorum ſit præeſſe tantùm non ſubeſſe, dare leges non accipere. Quo animo fuiſſe legimus Pharaonem Ægypti Regem, qui de dimittendo populo Iſraëlitico juſſu ſuperio-

ris Dei interpellatus, nihil ei in ſe imperii eſſe protervè reſpondit. Ita Senacherib & Nebucadnezar, alter Aſſyriæ, alter Babyloniæ, uterq; ſuperbiſſimus Rex, inſultare Deo tanquam inferiori, quinetiam convitia dicere veriti non ſunt. Nec alia mens fuit Alladio, Caligulæ, Domitiano, procacibus Numinis ſupremi contemtoribus, qui ut Deorum ſe titulis inſolenter jactitarunt, ita Imperium nullis legum ſeptis incluſum, nullis juſtitiæ limitibus circumſcriptum, in ſuos exercuerunt. Optandúmque eſſet hoc diſſolutæ poteſtatis venenum, quo nullum ſive ad exitium Principum, ſive ad excidium Principatuum, præſentius eſſe poteſt, non tam tenaciter adhæreſcere, vel ſaltem per adulationem non tam pertinaciter afflari Magnatum animis; Lætior profectò Reipub. Chriſtianæ paſſim appareret facies.

Longè alia ſententia eſt Sereniſſimo noſtro, qui melioribus imbutus præceptis, non à magiſtris primùm traditis, ſed ex ſanguine Majorum cum ipſo lacte materno hauſtis, nec humanâ ſed divinâ voce confirmatis,

illud REGE ME, REGE ME, REGE ME, devotâ mente ingeminat, Novit quippe esse Se infinitis parasangis superiorem, qui Reges, Principes, potestates ita constituerit in terris, ut tamen supremam in omnes potestatem sibi servarit in cœlis; *per quem Reges regnent & Dominatores decernant justitiam, per quem Principes gerant Principatum*. Novit in hujus *manu* esse omnium Principum *corda, ut rivos aquarum*; sceptra, coronas, diademata in puro puto ipsius arbitrio posita. Novit Reges invictissimos, Principes potentissimos salutari solitos, coram ipso nil nisi puluerem esse & cineres, *inanitatem & plus quàm inanitatem; quorum cogitationes omnes pereunt uno die*; Regna patentissima, Principatus amplissimos, quantumvis militum præsidiis, castrorum munimentis, auxiliis sociorum, firmatos, & quasi circumvallatos, haud aliis tamen quàm luteis consistere pedibus, ut si vel minimo ejus digitulo impellantur, exitiali lapsu nunquam deinceps resurrecturi corruant. Novit denique eundem, Regem

Regum,

Regum, Dominum Dominantium Inferioribus, miniſtris ſuis ac vicariis, actionum ſuarum omnium, privatarum, publicarum normas condidiſſe; quæ ſunt Leges Divinæ, atque etiam Humanæ, tanquam concluſiones ex illarum principiis deductæ, à quibus in toto regimine vel latum unguem recedere grande ſit nefas. Quod ipſum ſicut ex libro Scripturæ longâ dictorum exemplorúmque ſerie Principibus Chriſtianis inculcant Theologi: ita ex libro Naturæ exſtructum aſſeruerunt, atque etiam Principibus gentilibus tradiderunt Philoſophi. Plato quidem non modò illegem Principatum gravem, ſed paratum quoque interitum pronunciavit civitati iſti, in qua non Lex Magiſtratui ſed legi præeſt Magiſtratus. Ariſtoteles autem tertio Politicorum Principatum Sublegem & Exlegem in eo differre docet, quòd illic præſit Deus per ſuam vocem, iſtic præſit Homo per brutos affectus. Unde Domitiano Imp. Apollonius Tyanæus: *Si tibi leges imperare non putaveris, ipſe non imperabis.* Alius item ad Trajanum: *Non eſt Princeps* 109

ſupra leges, ſed contrà leges ſupra Principem. Principis poteſtas juſtitiæ ponderibus ſemper exigenda eſt. Quâ voce adeo delectatum Trajanum ferunt, Imperio tum inaugurandum, ut cùm non multò poſt Præfecto Prætorii Saburano gladium daret de more, eum in ſe diſtringi juberet, ſi quid contra leges, contra ſalutem communem imperaret. Et qui eum ſequuti ſunt Antoninus & Severus Impp. *Principem legibus vivere, legibus ſe ſubjicere,* non ſemel reſcripſerunt. *Omninóque digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri: Adeo de auctoritate juris noſtra dependet auctoritas,* inquiunt laudatiſſimi Impp. Theodoſius & Valentinianus. Illi ipſi verò qui agnoſcere ſuperiorem ejusque leges pati ſuperbè detrectarunt, adacti in ejus obſequium fuêre etiam inviti. Pharao è mediis, quibus obrutus periit, maris rubri aquis clamans; *Fugiam à conſpectu Jiſraelitarum: nam Jehova pugnat pro eis.* Senacherib amiſſo ad Hieroſolymam centum octuaginte quinque millium exercitu cùm domi inter

inter ipſa ſacra ſceleratis filiorum manibus
obtruncaretur, ſtatuæ ſuæ inſcriptum reli-
quit; *Intuens in me aliquis diſcat eſſe pius.*
Nebucadnezar à vitâ belluinâ ſeptenni ad
humanam, & ab exſilio ad regnum revoca-
tus, *Nunc*, ait, *laudo, extollóque & glorifico
Regem cœli, cujus omnia opera, opera veritatis,
& cujus viæ ſunt viæ judicii, qui denique am-
bulantes in ſuperbiâ poteſt dejicere.* In quam
ſententiam elatioris & præfractioris ſuper-
cilii Reges compellat Pſaltes Regius: *Ani-
maduertite, ô Reges, & eruditionem percipite,
ô Judices terræ: Colite Jehovam cum reverentiâ,
& exultate cum tremore: Oſculamini Filium ut
non iraſcatur, & pereatis in viâ, cùm vel mini-
mum exarſerit ira ejus.* Non ita Se-
reniſſimus Princeps FRIDERICVS facit.
Non diuturnâ quaſi cum ſupremâ poteſtate
colluctatione feſſus, fremens ac frendens, tan-
dem ſe ſubjicit; non fractus malis aut minis
territus leges accipit, ſed qua eſt in Deum
ſuum pietate, in Dominum ſuum humilita-
te, in Patrem illum ſuum reverentiâ, rebus 110
integris, & ex voto hactenus ſanè fluenti-
bus,

bus, obſequio maximè voluntario totum ſe ſubmittit ſuperiori, ei omnia ſua committit, ab eo duci, doceri, regi ut ore petit; ita ſincero cordis affectu deſiderat.

Duc me, nec ſine me per me, Deus optime, duci.
Me duce nam pereo, te duce fauſta gero.

Duc me Spiritu tuo bono per terram planam, & doce me facere placitum tuum, quia tu es Deus meus. Vias tuas, Jehova, notas fac mihi, ſemitas tuas doce me. Retege oculos meos ut intuear mirabilia legis tuæ. Doce me, Jehova, viam ſtatutorum tuorum, quam cuſtodiam in finem uſque. Fac ut intelligam, ut cuſtodiam legem tuam, obſervemq; eam ex toto animo meo.

Et à Salomone Rege precum ſuarum formulam mutuatus, *Tu*, inquit, *Jehova Deus mi, conſtituiſti me ſervum tuum* Electorem *loco* FRIDERICI *Patris mei, quamvis ego puer parvus neſciam procedere & redire; ſervum*, inquam *tuum in medio populi* Palatini, *quem elegiſti, populi multi & numeroſi. Des igitur Servo tuo animum* tui obſervantē, tibi ſubditum, te colentem, abs te ſolo pendentem; *des animum intelligentem ad iudicandum populum*

tuum,

tuum, discernendo inter bonum & malum, facientem quoq; quod tibi complacitum est. Ex quibus omnibus jam secundo loco intelligitis, Auditores, quem sibi Rectorem Elector FRIDERICUS delegerit. Verissimum cum de aliis tum de Principibus dictum est, multum referre quem quisque nanciscatur rectorem. Ut enim, Cicerone teste, *quales in Republ. Principes sunt, tales reliqui solent esse cives*; ita, experientia teste, quales sunt qui regunt Principes, tales ipsi quoque Principes evadunt. Duo verò sunt genera illorum, qui flexuosâ insinuatione obrepere Principibus, & nisi viam præcludant tempestivè, occupare eos, adeoq; partes Rectorum sibi usurpare assolent, Affectus & Adulatores. Illi adnati quasi, hi adventitii; illi in sinu, in abditissimis Principum recessibus, isti in ipsorum ministerio positi; utrique callidi, blanduli, imperiosi, perniciosi. Affectus non rationem modò de sede dejiciunt, verùm etiam Dei timorem, quo veluti lupato refrænantur, cordibus excutiunt, & normam regiminis hanc 111
statuunt:

Sic volo, sic Jubeo, stat pro ratione voluntas:
Alteramq; Atrei in Tragœdia;
Sanctitas, pietas, fides, pudor, privata bona sunt, Quà juvat Reges eant. Quod sanè inter priscos Persarum Reges eo usque invaluit, ut suprema regni lex esset; *Liceat Regi quod lubet.* Sicut legis hujus obtentu Cambyses incestis nuptiis uxorem sibi sociavit sororem; nec quenquàm passus est sibi obloqui, aut iniquissimis decretis suis, quæ immoderatissimorum affectuum intemperies suggesserat, intercedere. Nec secùs pleriq; ejus successores fecêre, qui quam in partem sua quemque traxit voluptas, in eam inconsultâ ratione præcipites ruerunt. Cúmque devicto tribus præliis Dario Codomanno summa rerum ad Magnum illum Alexandrum transiret; ipse quasi in impotentis dominatus jus venisset, ita affectibus suis fræna laxare ubiq;, ac cœco impetu ferri cœpit in omnia, jam ambitioni, libidini; modò crudelitati, luxui; aliàs aliis vitiis fœdissimè indulgens; planéque approbans, quod veluti malagma doloris ad indignam Clyti

cædem ſuppeditarat Anaxarchus; *juſtitiam propè Jovem aſsidere, quòd juſtum ſit quicquid à Jove*, id eſt, magno Rege *patratur*. In quo non minus, quàm in ſtatuis ſuis ac trophæis paſſim excitandis, & Philoſophorum principe Ariſtotele inſectando, imitatorem nactus eſt è Romanis Baſſianum Imp. qui ſanguine fraterno nefarias manus cruentavit, qui novercam Iuliam matrimonio ſibi copulavit, quòd licere ſibi putaret quicquid luberet, & dare leges non accipere Imperatorium duceret. Et quid attinet cumulare exempla exemplis, cum hodieq; nulla in re frequentiùs peccetur, quàm effrænatorum affectuum plus quàm licentioſo regimine; ex quo, velut exuberantiſſima ſcaturigine, nullum non mali genus in ſocietatem humanam redundat. Quemadmodum enim ſi navis, remoto gubernatore furori ventorum, fluctuumq; violentis aſſultibus relinquatur, ad vada, ad ſcopulos citò adhæreſcit, iteratisq; illiſa ictibus tandem frangitur; eundem in modum ſi Principa- 112
tus furentium affectuum æſtu impetuq; re-

gatur, fieri aliter non poteſt, quin modò hîc modò illic graviter impingat, concutiatur, & funditus intereat. Quem eventum cum recentium exemplorum memoria confirmet, fide antiquorum illuſtrare eum ſuperſedeo. Alterum genus perniciosorum rectorum eſſe diximus Adulatores; qui olim apud Orientales Eunuchi, apud Romanos ferè Liberti erant, quòd eo ex ordine in comitatum Principum aſſciſcerentur; hodie Aulæ Servi communiter dicuntur. Hi obtutu oculorum, geſtu corporis, appoſito verborum blandiloquio, promptitudine obſequiorum, prolixâ ſpecie honoris, & ſexcentis aliis occultioribus, ſed nocentioribus artibus, Principum ſe gratiæ inſinuant; affectibus ipſorum qualibuscunque exactum morem gerunt; eoq; ipſos arctiſſimè ſibi devinciunt, & tantum non mancipant. Quod poſteaquam conſequuti ſunt, obtentui ſumtâ Principum auctoritate nimis multa pro libitu ſuo agunt; figunt leges atque refigunt; & diviſâ quaſi poteſtate ſpecioſum titulum ipſis relinquunt, auctoritatem

tem Imperii ſibi ſumunt. Quo genere hominum primæ Monarchiæ, Aſſyriaca & Perſica, maximè abundarunt; ubi Regibus in belluinas voluptates demerſis, & ab acceſſu ſubditorum alloquióq; ſecluſis, rerum gubernacula inſigni libidine tractarunt. Celebrantur quoque in hiſtoria Rom. qui eorundem artificiorum incantamentis ſummum poteſtatis gradum ſibi pararunt, Sejanus apud Tiberium, Narciſſus & Pallas apud Claudium, Laco & Icellus apud Galbam, Plautianus apud Severum, & integræ imperioſorum ſervorum cohortes, quæ parricidam Phocam aſſiduè circumſtiparunt. Quorum omnium etſi parum conſtans aut diuturna dominatio, exitus ferè tragicus fuit; mutatis paulatim & alienatis Principum voluntatibus, odiisq; popularibus certatim in ipſos conſurgentibus; mala tamen innumera per ipſos conciliata ſubditis, & exinde ingens ipſis Principibus malevolentiæ tempeſtas concitata eſt; propterea quòd Principum eſt, non modò non facere injuriam, ſed etiam ne alii faciant providere. 113

Neutros agnoſcit aut admittit rectores excelſus Sereniſſimi Electoris FRIDERICI animus. DOMINUM Iehovam, Deum Zebaoth, Creatorem cœli & terræ, Regem Regum & Dominum Dominantium, ſibi expetit Rectorem; à quo vitam accepit & halitum & omnia; cujus Se gratiâ Palatinum Rheni, Septemvirum Imperii, Ducem Bojorum nuncupat. Neq; id mirum. Eſt enim Rector ille ſapientiſſimus, qui rebus obſcuris lucem præferre, dubiis conſulere, perplexis exitum monſtrare novit; eſt juſtiſſimus, qui injuriam facit nemini, jus univerſorum absq; affectu procurat; eſt benigniſſimus, benefacere promtus, exuberantis bonitatis cornu cœlitus demittens in omnes; eſt potentiſſimus, qui dexteræ omnipotentis robore ſuos tuetur & aſſerit. Quas virtutes cum ad aliorum ſubditorum & clientum ſuorum, tum ad Regum Principumq; ſalutem confert. Hoc ſiquidem elogio præ cæteris triumphat, quòd ipſis, vicariis ſuis, *multiplicem præſtat & magnificam ſalutem*; quòd *benignitatem exercet erga Unctos ſuos*,

ipſosq;

ipsosq; inter homines sacrosanctos statuit & Deos, quos nec facti violentiâ lædi, nec verbi contumeliâ patitur violari. Insuper regimen hujus Rectoris dulce est jugum, & leve onus; ut non gravet subjuges, nec premat ferentes. Non derogat majestati Principum, utpote quo in amplioris honoris fastigium evehuntur, Deo proximi. Non minuit libertatem; nam *ubi Spiritus Domini, istic libertas*; Deo servire vera libertas est; quo servitus illa major est, hoc ipsa libertas plenior est. Auctoritatem quoq; ipsorum minimè labefactat; siquidem ipsum honorantes honorat Dominus, instruens eos auctoritate majore, & arcanam venerationis vim ipsis indens, quâ spectabiliores subditis, hostibus autem suis formidabiliores fiant. De quo præclarum est Theodosii Magni, pientissimi Imp. exemplum; quem hoc Dei dono excellenter ornatum cùm pro pace adiret Gothorum, eousque indomitorum, Rex Athalaricus, & coràm plenũ majestatis vultum intueretur, subitâ affectus veneratione; *Sine dubio*, inquit, *Deus terrenus est Imperator,* 114

contra

contra quem quicunque manus levare annixus fuerit, ipſe ſui ſanguinis reus erit. Idem Theodoſius magis ſemper gaviſus fuit, quod ſubditus eſſet in regno Dei, quàm quod Rex audiret in regno terræ; Imitatus in eo virum illum ſecundùm cor Dei, Davidem, qui janitorem agere in domo Dei, quàm in tentoriis Impiorum primas tenere, omniq; rerum copia affluere, maluit.

Sed tempus eſt, ut audiamus paucis, quam Sereniſſimus Princeps FRIDERICUS regiminis ſui Electoralis normam profiteatur. Eſt illa aliis Principibus alia. Sunt qui Majorum ſibi atque Anteceſſorum exempla proponunt; ſunt etiam qui jus Humanum. Et exempla quidem mali mala, boni bona deligunt; ſicut Caligulam Nero, Neronem Vitellius tanquam moribus ſuis convenientiſſimum imitari voluit: Et Cæſarem Borgiam Alexandri VI. Pontificis nothum, monſtrum hominis omnibus ſcelerum flagitiis coopertum, Principi ſuo prolixè commendat Machiavellus. Auguſtus contrà melioris notæ Princeps Fortitudinem Scipionis,

onis, Benevolentiam Pompeji, & Fortunam Cæſaris ſpectavit ſibíque exoptavit. Alii Impp. felicitatem Auguſti & probitatem Trajani imperiis ſuis precati ſunt. Chriſtiani Davidem, Ioſaphatum, Ezechiam, Ioſiam, Conſtantinum, Theodoſium, Carolum, Magnos æmulantur. Et qui è Principibus Palatinis virtutes FRIDERICORUM, Primi fortitudinem, Secundi lenitatem, Tertii pietatem, Quarti ſinceritatem, felici penicillo una in tabella exprimeret, næ ille optimi Principis ideam exhiberet. Iuris autem humani unicam formulam in gerendo Imperio ſequuti ſunt, quotquot ſupernâ luce necdum colluſtrati Principes, non Tyranni, & eſſe & dici voluerunt. Quanquam verò minimè ſpernenda Principi exempla ſunt, mala ad fugam, bona ad ſequelam; etſi quoque juris humani, communis & ſingularis ſive poſitivi, magna ei habenda ſit ratio, non tamen exactæ & omnibus numeris abſolutæ regulæ normæve munus queunt ſuſtinere. Ut enim exempla factaq; etiam optima à jure nonnunquam deflectunt; ſic jus huma- 115

num, probum cæteroquin, à juris divini integritate alicubi deviat. Perfectior, imo perfectissima & absolutissima norma est VERBUM Dei, quod in regimine Electorali ad amussim sequendum Elector FRIDERICUS sibi proposuit. De quo si maximè non esset grave illud Dei ad populi sui Principes mandatum Deut. 17. *Rex insidens solio regni sui sumat sibi librum legis, meditetur in eo interdiu ac noctu, nec dextrorsum aut sinistrorsum ab eo recedat*; ipsa tamen ratio muneris hanc eis regulam imperaret. Cum enim Dii vicarii salutentur Principes augusto titulo, audienda sanè ipsis Lex est illius, cujus inter homines vices gerunt. Cum œconomiæ suæ Principalis rationem reddituri sint in censorio illo die; cujus solâ præscientiâ expavescunt & expallescunt cum præside Felice, quotquot malæ fidei sibi conscii sunt, omnino præscripto opus est ad quod universa ipsorum exigatur administratio. Promissio denique auxilii divini, *Non deseram, nec derelinquam te*, quâ Principes sustentantur, Principatus sustinentur, quia Verbo al-
ligata

ligata eſt; nemo illa frui dignè poteſt, niſi ad iſtud rationes ſuas rite componat. Ideoq; qui ſupra cõmemorati fuere pii Principes, toto Imperii ſui tẽpore nihil prius, nihil majus habuerunt, quàm ut Dei Legem non modò ſibi pararent, ſed & legerent; nec legerent ſolùm, verùm etiam intelligerent; nec tantùm intelligerent, ſed inſuper facerent. Ioæ Regi, annos tantùm ſex nato, inter ipſa inaugurationis ſolemnia liber legis in manus datus, ne unquam deinceps eum è manibus ſuis deponeret. Alphonſus cognomento Magnanimus, Arragonum Rex, codicem ſacrum, hujus animi ſui teſtem, inſignibus ſuis paſſim appingi voluit; quem etiam tam aſſiduo ſtudio evoluit, ut non modò memoriæ infixas ſingulas haberet hiſtorias, ſed ſingula etiam verba, quo ordine in ipſo textu poſita ſunt, expeditè recitaret, Proavus Sereniſſimi Noſtri, FRIDERICUS III. nomine & re Pius, tantis ſpaciis in ſacro hoc ſtadio Alphonſum præcurrit, quanto clarior ei quàm alteri repurgatæ veritatis cæleſtis lux divinâ miſeratione affulſit. Nunquam ille 116

domi, nunquam foris absq; Bibliis fuit; & ut Alexander Magnus Homerum ſuum veluti præſentiſſimum oraculum circumtulit; quem etiam viaticum rei militaris dicere, & dormiturus ſub pulvino reponere ſolitus eſt; ita Pius noſter Biblia ſua, illa divinitus edita oracula, ubiq; locorum circumgeſtavit; in manibus, in oculis, in deliciis habuit; cum iis ſedere, ſtare, ſermocinari, vigilare, cubare tanquam indiviſis vitæ ſuæ ſociis volupe duxit. Imperante Maximiliano ejus nominis Secundo, cùm Comitiis Auguſtanis Religio reformata, ceu crimen capitale, ipſi objiceretur, non alio quàm Bibliorum ſuorum clypeo ſe cauſamq; ſuam defendit. Poſtmodum quoq; Pſalterium Davidicum, abſolutum illud Scripturarum divinarum compendium, formâ minutulâ excudi voluit; tantùm vt geſtationi commodius tum ſibi tum miniſtris ſemper eſſet ad manus. Licet verò illis ipſis in Bibliis varii generis præcepta contineantur, quæ Reges & Principes ſigillatim concernunt; præ cæteris tamen attendenda ſunt iſta, quæ in jure Regis ediſſerendo ore

ſuo

ſuo Deus protulit, veluti leges fundamentales benè conſtituti ſibiq; placentis Principatus perpetuùm futura. Hujusmodi ſunt: *Ne Princeps reducat populum in Ægyptum; Ne efferat animum ſupra fratres, Ne multiplicet ſibi equos, uxores, aurum & argentum.*

Singulorum ſuprema faſtigia delibaſſe ſatis ſit in præſentia. Primum eſt, *Ne reducat populum ſuum in Ægyptum.* Terreſtris quidem Ægyptus longioribus terrarum ſpaciis diſtat à populo Chriſtiano, quàm ut reduci in eam commodè poſſit. Hodie quoq; eo ſolitudinis ac barbariei ſqualore oppreſſa jacet, ut Principes è Chriſtianis non multi id facere deſiderent. At altera ſpiritualis; quam Apocalypſin ſequuti Papatũ vocamus, proxima eſt, Principatus Chriſtianos perpetuo ambitu complectens, eorumq́; Principes divitiarum, regionum, honorum ſpecioſiſſimis illectamentis nunquam non ſolicitans. In hanc reducere populum ſuum, ad eam redire, interdicitur Principi Chriſtiano. Et quid ita? Quia Deus elatâ manu populum ſuum inde mirabiliter eduxit, fracto Anti- 117

christianæ tyrannidis jugo, sublatoq; illo non laterum sed operum onere, quod neq; nos, neq; Patres nostri portare valuerunt. Quia exire inde populum suum jussit, ne particeps fiat peccatorum Ægypti, & de plagis ejus accipiat. An reduci populum convenit, unde Deus eduxit? an introire unde Deus jussit exire? Num eo quisquam validior est? Ieroboamus quòd cultum vitulorum reduxisset in Iisraelem, populumq; peccare fecisset, horrendo excidio familiam suam implicuit. Valens Imperator quòd pro doctrina orthodoxa Arrianam hæresin Genti Gothicæ intulisset, funesto incendio absumtus est. Nec impunitum ulli fuit suasæ aut imperatæ subditis apostasiæ peccatum: adeo Deus se non patitur irrideri. Alterum est, *Ne efferat animum supra fratres.* Fratres tertiâ repetitione vocat Deus, in quos Principi Christiano Imperium tradit; non solùm communionis spiritualis cum Christo, quæ tota supernaturalis est, verùm etiam ipsius sanguinis respectu. Siquidem *ex uno sanguine condidit Deus universum genus humanum,*

num, ut ait in actis Apostolus. Quam ejus sententiam rythmo germanico, etiam in vulgus noto, expressit Imp. Maximilianus; & Politici tanquam fontem humilitatis, & erga Subditos clementiæ Principibus commendant. Ea quippe naturæ, ea sanguinis vis est, ut si propagine non planè corrupta à prima sua origine fluat, occultum συμπαθείας affectum secum ferat. Qualis se constanter prodidit in Davide Rege, qui subditos Iisraëlitas os suum dixit & carnem, luemq; pestiferam ab ipsis in se derivare si potuisset, voluisset. E Romanis, Titus & Trajanus eundem affectum civibus suis impenderunt; req; ipsa comprobarunt quod scribit Xenophon, *Bonum Principem nihil differre à bono patre*. Principatus quidem conditio id habet, ut sensum illum exuat paulatim aut minuat. Qua de causa Caspar Silkius, qui in aulis Clariss. Impp. Sigismundi, Alberti II. & Friderici III. ætatem exegit Cancellarius, subinde optavit, Omnes Principes privatos aliquando pauperesq; fuisse, quo privatorum & paupe-

rum rectè nossent misereri. At sedulâ curâ fovendus est Principi Christiano, nec negligenda ejus retinendi media. David succrescentem animi elationem Spiritu precum passim reprimit; nonnunquam fragilitatis humanæ sortem ob oculos ponit, & commune illud, in quod omnes recidunt, Principium, Cinerem. Philippus Macedo monitorem habuit domesticum, qui quotidie prodeunti è cubili occinebat, *Memento te mortalem esse*. Filius Alexander etsi opinionem divinitatis imis conceptam præcordiis mordicus alioquin tueretur; tamen telo ictus, cum sanguinem largiùs mitteret, Hominem se esse fassus est. Carolus Magnus tredecim pauperes in eodem, quo cibum ipse capiebat, triclinio aluit, ut imagine hac paupertatis fortunæ suæ prosperitatem moderaretur. Et illa tam varia miseriæ humanæ spectacula, adversi illi casus, qui undiq; Principum in sublimi positorum oculis se ingerunt; quid aliud monent, quàm ut se homines hominibus, mortales mortalibus præesse cogitent? Tertium est, *Ne*

multi-

multiplicet ſibi equos, uxores, aurum & argentum. Pedeſtrem eſſe Principem, ſine equo agere & equitatu, nec ex Dei mente eſt, neq; ex Principis dignitate. Papa Rom. pœnitentiæ titulo tam abjectam conditionem Imperantibus imperat. Hoc verò ſpectat Deus, ut in iis quæ ad Aulæ pompam & uſum Principatus faciunt pace & bello, modum ſervet Princeps; in apparatu quoq; bellico nec equitatui ſuo, nec peditatui, nec ullis præſidiis humanis confidat. *Hi currum, illi equorum, Nos nominis Jehovæ Dei noſtri recordamur*, Davidi in expeditionem eunti acclamant Iiſraelitæ. Quoties cæſi iidem; quòd virium ſuarum fiducia inſoleſcerent? Quoties equitatum ampliſſimum, peditatum numeroſiſſimum revocare juſſi ad paucos? Nimirum, perinde eſt Deo noſtro per paucos ſervare vel multos. Neutrobi gloriæ ſuæ fructum intercipi, aut quicquam de eo decerpi patitur. Uxorum etiam non multiplicandarum meminit pro temporis illius conſuetudine, quo Polygamiam Deus 119
carnali populo ſuo peculiari conniventiâ in-

dulſit. In novo Teſtamento quamuis alia ratio ſit; conjugio ad primævam inſtitutionem per Chriſtum revocato, hunc tamen ea pars legis uſum habere poteſt, ut Principem in contrahendo matrimonio de cura religionis, in colendo de fide thori admoneat. Poſtremò quod de auro argento non coacervando additur, eò facit, Ne Princeps exactionibus, tributis, variiq; nominis & ominis aucupiis gravet ſubditos, exhauriat ipſorum facultates, & ipſa tenuiorum oſſa emedullet. Notum eſt illud Tiberii, *Boni paſtoris eſt tondere pecus non deglubere*. Cujus quamdiu memor fuit, optimè audivit apud ſuos; ubi immemor eſſe cœpit, & cum cæde ac ſanguine omnes orbis Rom. provincias expilare, peſſimè: ita quidem, vt poſt fata tyranni terram matrem Deosq; manes obteſtaretur populus, ne mortuo ſedem ullam niſi inter impios darent. Quò verò abierunt illa omnia? Succeſſor Caligula *vicies ac ſepties millies Seſtertiûm uno non toto vertente anno abſumſit*, ut totidem verbis refert Suetonius. Sic Crœſo famoſæ ad omnem poſteri-

poſteritatem divitiæ, non absq; multiplici injuſtitia corraſæ, ad id tantùm profuerunt, ut moto bello non neceſſario terribilem opum ſuarum vim everteret: Quanto utroq; prudentior fuit Conſtantinus Chlorus, qui pecunias ſuas in loculis ſubditorum, theſauros in ipſorum benevolentia poſuit; atq; id ipſo facto oſtendit, cum theſaurorum exilitas, ceu diſſolutioris regiminis probrum, à Diocletiano objiceretur. *Non* enim *theſauri præſidia regni ſunt, ſed amici, quos neque armis cogere neque auro parare queas; officio & fide parantur.* Interim quia admodum multiplicari aurum & argentum vetat lex, apparet inde, exceſſum, qui ad avaritiam eſt & ambitionẽ, hoc in genere damnari, non culpari Parſimoniam. Placet Deo, & poſcit res ipſa, ut reponat Princeps in futurum, quæ ad ſubita belli, ad inopinos caſus neceſſaria putat. Sed absq; vi, absq; oppreſſione ſubditorum, absq; omni in terrenis illis fiducia id faciat, & Iehova Zebaoth clypeus ipſi erit, & ampla merces. 120

Hæc ſunt quæ Principibus populi ſui Deus imperat. Hæc ſunt quæ lex fundamentalis Principatus Chriſtiani requirit. Hæc ſunt quæ populi Chriſtiani Princeps Chriſtianiſſimus Elector FRIDERICUS facit; & conſtanti tenore deinceps facere ſibi propoſuit. O beatum populum Palatinum, cujus Iehova Deus eſt! O beatum populum Palatinum, cujus lex Dei moderatrix eſt! O beatum populum Palatinum, cujus Princeps imperio Legislatoris Dei, juſſu Legis divinæ ſubditus eſt! *Non ita fecit Deus noſter multis populis*. Peculium Palatinum tot tantisq; ejus favoribus tripudiat. Videte quem unxerit Iehova in Anteceſſorem ſuper Poſſeſſionem ſuam. Coram Iehova aſſidet Unctus ejus. *Multò pulchrior es filiis hominum; infuſa eſt gratia labiis tuis; Accinge gladium tuum ſuper femur, ô robuſte, & terribilia edde documenta dextera tua. Populi tibi procident, inimici tibi procident, ambulanti in integritate animi tui. Non propones tibi ob oculos rem nefariam. Cor perverſum recedet à te: Malum hominem non agnoſces; Lædentem linguâ,*

guâ, elatum oculis, tumentem animo ipsum non feres. Oculi tui attendent ad veraces terræ ut considеant tecum. Ambulans viâ integrâ is ministrabit tibi. O Deus, da judicia tua Electori, *& justitiam tuam filio* Electoris. *Judicet populum tuum justè, & pauperes tuos jure. Proferant montes pacem populo & colles propter justitiam. O Deus, dies diebus* Electori *superaddito; anni ejus sint ut multarum generationum. Maneat in seculum coram te; benignitatem & fidem præpara, quæ custodiant eum. Auxilium Tuum sit Jehova qui fecit cœlum & terram. Ne permittat dimoveri pedem Tuum; ne dormitet custos Tuus. Ecce non dormitat neq; dormit custos* Electoris. *Jehova custos tuus; Jehova umbra tua. Is servabit animam tuam ab omni malo; Is servabit ingressum tuum & egressum ex hoc tempore usque in seculum. Benedictus sit Jehova Deus noster, qui facit mirabilia solus. Hic est dies quem effecit Jehova; exultemus & lætemur in ea.* Surculus de radice Palatina excrevit in arborem. Lucerna fumigans domus Palatinæ erupit in coruscam & constantem 121

 flam-

flammam. Omnia ſub Trajano Imp. bene futura cornix cecinit. Omnia ſub FRIDERICO V. Electore bene futura Univerſi canimus. Sis pius, ſis probus, ſis juſtus, ſis clemens, ſis fortis, ſis felix, ſis longævus; ſis Pater patriæ, ſis Dominus æquus & bonus; ſis amor & deliciæ generis humani, ſis temporum tuorum felicitas; ſis Scipione fortior, Auguſto felicior, Trajano probior; ſis Davide religioſior, Salomone ſapientior, Ioſia humilior. Quicquid uſpiam virtutis eſt, in te congregetur; Quicquid uſpiam felicitatis eſt, in te corrivetur; Quicquid uſpiam laudatorum exemplorum eſt, in te renovetur. Vivat, vivat Elector FRIDERICUS, floreat Domus Palatina, proſperè agat Palatinatus, augeatur Eccleſia, amplificetur Academia. Hæc vota, deſideria, ſuſpiria ad Electoratus tui initia, Princeps FRIDERICE, Univerſi ferimus.
Optat hoc Senatus, vovet Academia, precatur Miniſterium, omnium ordinum conſeſſus ſperat. FRIDERICE Elector, Deus Te ſervet, Princeps Palatine Deus te ſervet.

Sena-

enatus ſuo loco eſt, quia Tu Elector; Se-
atus jus dicit, quia Tu Princeps; Sena-
ıs bene conſulit, quia Tu Dominus.
RIDERICE Elector, Deus Te ſervet, Prin-
eps Palatine Deus te ſervet, Patrocinii Tui
ura ſpirat Academia; Clementiæ Tuæ fa-
ore Rector Magnificus præeſt; Benignita-
s Tuæ continuatione hæ cathedræ, hæc
ulpita Doctiſſimorum Profeſſorum voci-
us reſonant. FRIDERICE Elector,
)eus Te ſervet, Princeps Palatine Deus Te
rvet; Miniſterium Sacra diſpenſat Te nu-
itio, pauperes curat Te largitore, diſcipli-
am exercet Te vindice. FRIDERI-
E Elector, Deus Te ſervet, Princeps Pala-
ne, Deus Te ſervet; Tuo beneficio tam
mplæ ſpei juventus eruditur; Tuis auſpi-
iis tam nobiles in Academia conventus a-
untur; Tuâ Gratioſitate allecta ſpectabilis
æc auditorum corona ad plauſus, lætitias,
cclamationes certatim accurrit. Sau-
em Regem ſequuti ſunt, quorum corda in-
linavit Deus: FRIDERICUM Electorem
mnes ſequuntur, quia omnium corda in- 122
clinat.

clinat. Poſtremò iterum iterumq́; repetitis votis prioribus benedicamus Electori Noſtro, eumq́; fauſtâ acclamatione comitantes redeamus ad ſua ſinguli tentoria; læti & hilares animo de toto illo bono, quo affecit Jehova ELECTOREM FRIDERICUM Servum ſuum, & PALATINATUM ELECTORALEM populum ſuum.

Huic Regi æterno, incorruptibili, inviſibili, ſoli ſapienti Deo, Regi Regum & Domino Dominantium ſit laus, honos & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.